


Σὺν Θεῷ

EXERCITATIONUM ETHICARUM
QUARTA

DE VIRTUTE IN GENERE,

Quam

Benedicente DEO Opt. Maximo

Permissu Amplissimi Collegii Philosophici

Sub Præsidio

M. JOHANNIS Reinbothe
Altenburgô-Misnici.

Placidæ disquisitioni

ad diem Martii horis & loco consuetis

subjicit

Respondens

THEODORUS Möllmann/ Flensb. Hols.

Rostochi, Literis hæredum Richelianorum,
Anno cIↄ Iↄc xxxvi.

Cum Deo!

I.

SUmmum Bonum in Exercitio Virtutum consistere, pluribus ex Aristotele in Disp. 2. demonstravimus. Cum autem Politico immediatè Bonum Practicum sit propositum, ideo etiam Philosophus in eo tòtus est, ut præcipuè Moralium Virtutum indolem, bene exponat, tum in genere *l. 2. Ethic.* & *l. 3.* ex parte ad Nicom.; tum in specie *l. 3. 4. & 5.*

2. Generalem Virtutum Moralium doctrinam 9 absolvit capitibus, quorum 1 agit de virtutum γενέσεως & corruptione. c. 2. De manifestatione, conservatione & modo agendi. c. 3. de signis virtutum, & an homo justa agendo justus fiat, c, 4. c. 5. vero de genere. c. 6. de Definitione. c. 7. de speciebus. c. 8. de oppositis, & c. 9. de mediocritate quomodo inveniatur.

3. Virtutem immediatè ἀπὸ τῶν ἠθῶν à moribus; mediatè vero ἀπὸ τοῦ ἔθους nomen habere, Aristoteles *l. 2. Eth. Nicom. c. 1.* innuit. Mores namq; informat & frequenti assuefactione comparatur; ideoq; tàm ab assuefactione, quàm à moribus ἠθικὴ sive virtus moralis rectissimè dicitur, quemadmodum ideo etiam ἡ τοῦ ἤθους ἀρετὴ *l. 6. Eth. c. 1. § 5.* πρακτικὴ ἀρετὴ *Eustratio ad c. 1. l. 6. & Ciceroni l. 5. de Finibus p. 149. virtus voluntaria & virtus posita in voluntate.*

4 Dubium quidem est an VIRTUS sit à naturâ an verò ab assuefactione. Certè *Galeno Medicorum principi & Philosopho summo*, communiter attribui solet, Mores sequi temperamentum hominis, quod latè *Piccolom. gradu à Phil. Moral. c. 28.* persequitur. Quo posito certè, malè adsuefactioni quod temperamento concedendum esset, tribueretur.

5. Hinc etiam alia videntur evincere, non tam assuefactio-

 ni,

ni, quàm naturæ virtutes attribuendas esse. Si enim in primo homine Adamo virtutes fuere naturales, ut sponte naturâ etiam duce, poterit virtuosè agere, certè in nobis idem etiam usu veniet. Atqui prius schola Theologorum asserit. E. & posterius meritò à nobis affirmandum videbitur. Consequentia manifesta apparet, quod eadem utrobiq; sit ratio & virtutis, & hominis qui ratione essentiæ mutatus non est.

6. Cui etiam videtur astipulari ipse Philosophus qui lib. 6. Ethic. c. ult. naturales virtutes concedit. Quam assertionem & illi, licet inviti sibi eligendam meritò censebunt qui ex τῷ φυσικῷ innatum quoddam actuale ex Rom. 2. colligunt. Cum enim ibi expresse dicatur, ETHNICOS NATURA quæ legis sunt facere v. 14. certè si φύσις necessario actualem impressionem notat, nihil firmius pro hujus sententiæ confirmatione adduci poterit,

7. Probabile etiam est naturam non deficere in necessariis. Virtutem autem necessariam esse ad Bonum Politicum, nemo sanus negabit, ad quod homo naturâ videtur inclinare; ideo enim ζῶον φύσει πολιτικὸν passim in libris Politicorum vocatur. Et certè cum principia & semina virtutum homini denegari nequeant, omnino natura id quod inchoavit etiam perficiet, cum nihil frustrà ab ea fiat *lib. 9. Met. c. 4. l. 1. de cœlo t. 32.* & alibi.

8. Rectius Philosophus sine dubio virtutem naturâ inesse negat, neq; sine rationibus pugnat, quarum præcipua hæc est: Quæcunq; naturâ nobis insunt, illa non possunt per assuefactionem mutari. Virtus tamen mutari potest per assuefactionem. E. virtus, nobis natura non est. Majorem hoc loco probat inductione tanquam aliâs ex conditione φυσικῆς δυνάμεως potentiæ naturalis sive irrationalis *lib. 6. & 9. Met.* (ubi potentiæ naturales dicuntur, unius oppositorum) notam. Videmus enim lapidem semper deorsum moveri, ignem sursum, neq; alium motum naturaliter posse suscipere. Ita etiam alia servant perpetuò, quod natura ipsis concessit neq; alia assuefactione nutant auamittunt *Inde Horatius l. 1. Epist. 10.*

Naturam expellas furca tamen usq; recurret.
Et mala perrumpit furtim fastidia victrix. Qua de re

locus,

est etiam apud Platonem in Protagora locus, quod virtus malis moribus ac Doctrinis tolli & adimi possit, natura non item.

9. Minor constat experientiâ. Videmus enim quotidie multos homines ita mores mutare, ut sæpè alii videantur. Unde consuetudo dicitur altera natura. Erat Manlius Torquatus in pueritiâ ingenio tam hebeti, & eâ indole, ut à patre L. Manlio viro amplissimo quia & domesticis & Reip. usibus inutilis videbatur, rus relegatus, agresti opere fatigaretur, attamen cum in urbem postmodum rediisset, pietate in parentem, quem reum judiciali periculo liberavit & meritis in Patriam, quam Latino tumultu fessam speciosissimo triumpho recreavit, clarissimus extitit. Vid. Valer. Maxim. l. 6. c. 9.

10. Ad *primum* argumentum ut respondeamus & nostram mentem aperiamus, & subjectum & prædicatum istius quæstionis an mores sequantur temperamentum, prius explicabimus. *Mores* enim possunt sumi: 1 pro impressionibus quibusdam (uti loquuntur Medici & nonnulli Physici) in Temperamento, ad quas natura, locus ac influentia multum sæpè faciunt, 2. Pro interno animi habitu, ex quo homo ab ineunte ætate, ut & in vitæ progressu, operationes virtuosas promit. II. *Sequi ad temperamentum* etiam potest dupliciter intelligi. Sequitur enim aliquid tanquam ad causam adæquatã & per se, vel sequitur aliquid ad aliquid tanquam ad causam inadæquatam & per accidens. Prius fluit ex principio tanquã à causâ per se, quâ positâ non potest non effectus existere. Posterius vero tanquam à causâ per accidens, ad quam effectus sese contingenter habet, eâq; positâ causâ, bene potest effectus abesse.

11. His positis dicimus 1 *Mores primo modo sumpti sequuntur temperamentum directè.* Probat hoc experientia. Ita enim Melancholicos tristes, sanguineos hilares, qui modo hoc, modo alio delectantur; Cholericos ad iram pronos dicimus. &c. Atqui hoc à temperamento oriri, Physici rectè & latè ostendunt. Hinc etiam morbi Endemii apud Medicos inveniuntur, quando sub certa cœli plagâ, certis in locis, homines peculiaribus morborum generibus afficiuntur: quemadmodum inferior hæc Saxonia Oceano proxima, ut & Dania & Norvegia Scorbuto morbo magis noto quam

 grato

grato infestatur. Multum etiam astra ad ejusmodi mores facere non negamus, ut in his Astrologorum Genethliaca non simpliciter rejiciamus, quamvis & hîc sint certi fines, quos excedere periculosum, & interdum temerarium est. Verum de his alibi ex professo agendum erit. Videatur interim Marsil. Ficinus lib. 4. Epist. mihi f. 781.

12. Dicimus II. *Mores secundo modo sumpti sequuntur temperamentum indirectè, non verò directè.* Conclusio explicatur quoad prius membram ex eo, quod cum anima nostra sit organica, agatq; mediantibus sensibus, facile fieri potest ut si temperamentum v. g. sit Cholericum, in quo abundat bilis, & ita ad iram concitat, ut etiam homo non reluctetur, sed cum natura ad bilis effusionem, ex qua sanguinis ascensio, & ita ira oritur circa cor, sit proclivis, facile etiam potest fieri, ut exinde iracundus evadat. Posterius vero membrum exinde patet, quod homo nihilominus habeat penes se rationem & libertatem, quibus munitus facilè ab ineunte juventute appetitum sensitivum, ita potest moderare, affectibus resistere, & alium plane habitum, ab actu quem temperamentum videbatur intendere, planè diversum producere, quemadmodum quidem experientia quotidie testatur, & *supra* §. 9. *Manlium Torquatum, & in Disp.* 1. § ult. *Palæmonem* produximus, quibus potest addi *Phædrus* de quo *A. Gellius l. 2. Noct. Attic. c. 18.* & *Socrates* qui cum se libidini naturâ indulgentem animadverteret, animum ad Philosophiam appulit, dixitq; : *Fuissem talis nisi Philosophiam amassem.*

13. Hæc omnia autem nostræ & Aristot: thesi non obstant. Causam enim per se & adæquatam virtutum intelligimus, non inadæquatam & per accidens, quam an Magnus Galenus intellexerit, hî non disputabimus. Injuriam enim optimo huic Philosopho à Piccolom: & aliis fieri, Medici nonnulli doctissimi ostendunt, qui non curant id quod *Scal. Ex. 274.* habet: Si *Mores à temperatura cum Galeno ducere conabere, facilè objectionum multitudine obrueris.*

14. Ab Adamo homine in statu innocentiæ constituto, ad nos, qui post lapsum sumus tenebræ *Eph. 5, 8.* tenebris obscuratam mentem habentes, *Eph. 4, 18.* quorum omne figmentum cordis est malum omni tempore, *Gen. 6 & 8*, nulla est consequentia. Nec

obstat

obstat quod virtus & homo ratione essentiæ, nullam mutationem subeant. Sufficit enim quod ea quæ immediatè virtutes debent producere, ita sint debilitata, ut ratio quæ antea verum semper cognoscebat, jam sæpe Junonem pro nebulâ apprehendat. Voluntas quæ semper tum temporis bonum honestum persequebatur, jam sæpe bonum apparens alteri, quod revera tale est præfert, ut quod olim Medea conquerebatur apud *Euripidē* Μανθάνω μὲν τὰ κακὰ &c. hodiè multis etiam hæc verba extorqueat, quæ *Ovidii* sunt

—— Video meliora proboq;
Deteriora sequor.

15. Quod concernit §. 6. Philosophus habitus naturales, & virtutes naturales non vocat, quasi naturæ quosdam habitus animæ imptimeret, ut à vitæ exordio virtutes propriè dictæ conspicerentur. Contrarium eum docuit Præceptor noster *l. 3. de anima t. 14.* cum γραμματείῳ intellectum comparans, ᾧ μηδὲν ὑπάρχει ἐντελεχείᾳ γεγραμμένον. Φυσικὸν, enim & quod est φύσει ipsum pro naturali inclinatione sumere ex aliis locis apertè conspicitur.

16. Quod si enim τὸ φυσικὸν sive τὸ φύσει εἶναι, ita semper explicaretur, quî quæso *c. 2. lib. 1. Polit.* explicari poterit, quando hominem ζῶον πολιτικὸν τῇ φύσει εἶναι asserit? An quod actu societas quædam inter homines detur, posito quod Adam tantum inter homines numeretur? Sed quis Adamum hominem ante societatem in societate tamen eo ipso fuisse affirmabit?

17. Quid dicendum erit ad locum *l. 8. Eth. c. 12.* quando Philosophus disputat amicitiam inter virum & uxorem naturâ esse? An vero statim à naturâ, sive ab initio suæ vitæ, quis matrimonium colit? Hoc ego nec dixerim nec affirmarim. Quid deniq; ad illud, ut cætera taceam, responderi poterit, quando *l. c. Pol.* demonstrat, *civitates à naturâ esse?* An dicendum, naturam easdem absq; humanâ industriâ extruxisse? Atqui hoc esse absurdum, quis non & mente & oculis usurpat.

18. Idem infra ex *l. 5. Eth. c. 7.* ostendemus, ubi δίκαιον

φυσι-

φυσικὸν minimè à naturâ actu implantatum consideratur, quod ἴδιον τῇ φύσει *l. 1. Magn. Moral. c. 34.* nominatur. In his locis enim proclivitatem & aptitudinem notari, jamdudum Autores annotarunt. Vide *Soncinatem l. 4. Met. q. 33. Connimbricenses Comm. in l. 1. de Interp. q. 4. art. 2.* & ex recentioribus, *Piccart. in Comm. super l. 1. Pol. fol. 63. & Hornejum l. 4. Eth. c. 1 de habitibus n. 10.* Ita & *c. 13. l. 6. Eth.* virtutes naturales & natura in esse dicuntur, quoad instinctum & capacitatem. Unde etiam ibidem cautè Stagirita utitur verbis illis δοκεῖ & πῶς, ibiq; dicit, non quod nascamur temperantes, sed σωφρονικοί, hoc est (si ita loqui liceret) temperabiles. Actu enim naturâ non inesse virtutes, præter hunc locum *l. 2. Eth. c. 1.* alia testantur Aristotelis *l. 1. Magn. Moral. c. 6. l. 2. Eudem. c. 4.* Inde & dicit *l. 2. Eth. c. 4.* ἀγαθοὶ δ' ἢ κακοὶ ȣ̓ γινόμεθα φύσει.

19. Atqui nos cum Aristotele non loquimur de aptitudine & capacitate de qua *l. 6. Eth.* Philosophus agit. Hanc enim libenter naturæ largimur, *Deus enim animam*, inquit Acciajolus, *creavit cum tali natura & aptitudine, ut posit suscipere formas in sua materia. Nam omnis materia habet aptitudinem propinquam ad suam formam suscipiendam, naturaliter. Nos igitur à naturâ habemus vires & potentias suscipiendi virtutes, tanquam formas per consuetudinem, quæ est illa quæ facit, ut has virtutes, quas habere possumus, habeamus:* Quo etiam referri debet id quod habet *Cicero lib. 3. Offic. Est virtus maximè consentiens, magis quam ipsa vita aut voluptas.* & quod Apulejus *de Philosophia Morali* Platoni attribuit, dicentis *hominem à stirpe neq; absolute bonum neq; malum nasci, sed ad utrumq; proclive esse ejus ingenium, habere quidem lumina quædam utrarumq; rerum cum nascendi origine copulata, quæ educationis disciplinâ debeant in partem alteram emicare.*

20. Qua eadem solutione uti possumus, ut §. 7. diluamus. Paulum enim Rom. 2. non de actuali innatâ notitiâ & actione ibi loqui, (quicquid etiam alii, aliàs viri de Ecclesiâ & Republ. literariâ optimè meriti dicant) scopus evincit, cum Rom. 1. 20. ἀπὸ κτίσεως τȣ̃ κόσμȣ ex visibilibus invisibilia dicantur cognovisse, & tamen veritatem

ritatem cognitam in injustitiâ detinuisse, & φυσικὴν χρῆσιν (non quasi actu natura illo usu uteretur, sed qui sit capax ad id recipiendum, ad quod natura tendit) mutasse, quæ omnia huic sententiæ adversantur. Sensus igitur est: Gentes etiam sine legis divinæ revelatione, ex naturali instinctu, id sensisse quod Lex naturæ exigebat. Quemadmodum autem, ex eo malè colligis, quod gentes naturaliter, legem actu ideo inscriptam habuerint. ita multo minus sequitur, gentes opera legis, naturæ actu, statim exercuisse. Hoc enim est justa exercere, antequam vel justa cognoscas, vel justa agas.

21. Quando autem assuefactione virtutes acquiri dicimus, eo ipso actiones quæ *l. 2. Eth. c. 2.* κύριαι dicuntur ad habitus, sic vel aliter constituendos, sive quod perinde est, τὸν ἐθισμὸν intelligimus.

22. Absit autem ut hoc ipso illum excludamus, quem naturæ δημιουργὸν καὶ ποιητὴν Plato vocat, à quo omne bonum & omne donum perfectum est, *Jacob* 1. *v.* 7. Hinc Socrates dixit apud Platonem in Menone, *fol.* 248: θείᾳ μοίρᾳ ἡμῖν φαίνεται παραγιγνομένη ἡ ἀρετὴ, οἷς παραγίγνεται. hoc est: nobis virtus videtur, divinâ sorte contingere quibus contingit. Quod autem εὐδαιμονία, quæ nunquam sine virtutibus est, *l.* 1. *Eth. c.* 10. Divinum donum negatur, ratione particularis, non universalis caussæ intelligendum est. Verissimum enim est, quod Bias habet apud Laërtium *l. 1. c. 5. pag. 61:* ὅτι ἂν ἀγαθὸν πράττῃς εἰς θεοὺς ἀνάπεμπε· quicquid boni feceris, in Deum refer.

23. Neq; hoc ipso excludimus 1. Naturalem inclinationem, seu propensionem, quam naturam & εὐφυΐαν aliàs solemus appellare. De hac consilium Plutarchi audiendum est, in *l. de educ. puer.* τῷ γὰρ πλεονεξίαν ἐπιῤῥώσομεν, τὴν δ᾽ ἔλλειψιν ἀναπληρώσομεν si æquior itaq; fuerit proponenda, sin iniquior corrigenda erit. vid. Piccol. *grad.* 2. *c.* 3. 2. Institutionem & educationem, Nam

Usque adeo à teneris assuescere multum est

Omnia naturæ cura jugata potest, unde Philosophus:

οὐ μικρὸν, οὖν διαφέρει τὸ οὕτως ἢ οὕτως εὐθὺς ἐκ νέων ἐθίζεσθαι, ἀλλὰ πάμπολυ, μᾶλλον δὲ τὸ πᾶν, hoc est; non parum igitur,

K sed

sed multum, imo plurimum refert, itane an aliter ab adolescentiâ statim sit assuefactus *l. 2. c. 1. §. fin.* *Potens enim natura*, inquit Erasmus alicubi, *sed potentior institutio, quæ malam naturam corrigit & vertit in bonam.* *Quales nascantur liberi nulli in manu est: at ut rectâ institutione evadant boni, nostri potestatis est* Ad quæ si accesserit fortunæ 3. adminiculum magnum accessit. Multi enim in obscuro latere coguntur, qui domi forisq; poterant inclarescere. Nam horum

—— conatibus obstat

Res angusta domi. ut ait *Juvenalis.* *Omnibus enim in rebus*, inquit Antonius de Guevara, in Procem. General. Horolog. Princ. n. 21. *per magni refert, homini propitiam esse fortunã; hac enim adversante darum prodest diligentia.* Scilicet uti habet *Alciatus Embl. 12.*

" Dextra tenetlapidem, manus altera sustinetalas:
" Ac & pluma levat, sic grave mergit onus:
" Ingenio poterant superas volitare per artes
" Hi, nisi paupertas invida deprimeret.

24. Actiones autem, quæ ad virtutem producendam concurrunt, debent esse 1. Crebræ & frequentes. Quemadmodum enim una dies Serena, neq; una hirundo ver infert & efficit *lib. 1. Eth. c. 6.* sic neq; una vel altera actio, virtutis habitum, non aliter ac fidicines, architecti aliiq; artifices, non nisi frequenti artificio canendi, ædificandi, habitum acquirunt *l. 2. Eth. cap. 2.* *ex actionum enim crebritate, aut ex paucis bene validis habitus creatur*, inquit Scaliger, *Exerc. 307. sect. 4.*

25. Sæpius enim justa agentes justi, & sæpe temperata agendo temperantes evadimus *l. 2. Eth. cap. 4.* De his actionibus, h. l. quæritur: an sint ejusdem speciei, cum iis, quæ virtutem formaliter constituunt, cujus quæstionis solidam decisionem cum habeat *Picolom. gr. 2. c. 9.* ideò illam hoc loco non attingimus.

26. Debent 2. actiones mediocritatis vinculo esse adstrictæ, *Nam & exsuperantes exercitationes, & deficientes corrumpunt robur. Similiter verò etiam potus & cibi, si plures & pauciores adhibeantur corrumpunt sanitatem, moderati autem & efficiunt & augent*

& con-

& conservant. Eodem igitur modo, & in temperantiâ & fortitudine se res habet, & in aliis virtutibus ait Aristotel. *l. 2. Eth. c. 2 §. 2. & 3.* Hinc Horatius:

Virtus est medium vitiorum & utrumq; reductum, i. e. *retractum & ablatum*

27. Mediocritas itaq; aurea est, quæ actiones distinguit, ut virtuosæ dici possint. Quod Arist. *l. 2. Eth c. 6. § 3. &c.* tribus argumentis probat; quorum 1. desumit *à minori ad majus*, si omnis scientia (sumpta pro arte opificum, uti etiam *Plato* annotat *l. 7. de Republ.*) omnisq; ars, tunc opus suum bene dicitur perfecisse, si ita illud perfectum est, ut neq; demi neque addi quicquam illi potest, multo magis virtus in eo & consequenter in medio ponenda erit. Atqui prius est verũ E & posterius. Antecedens confirmat exemplo artis palestricæ, & ita inductione illud constare innuit, quam ob caussam etiam commune proverbium citat, (de quo Erasmus consulendus erit) quo dicitur τοῖς εὖ ἔχουσιν ἔργοις ὅτι οὔτ' ἀφελεῖν ἐστιν, οὔτε προσθεῖναι, bene habentibus operibus, nec demi, nec addi quicquam posse. Unde *Horatius* Lucilii versus non usq; ad eo elegantes repræhendit: *Cum flueret lutulentus erat quod demere posses.* Quo debet referri quod Phavorinus Philosophus, de oratore Lysiâ & Platone dicebat apud Gell. lib. 2. c. 5. *Huic si quid adimas, tantundem de elegantiâ, illi tantundem de sententiâ detrahas.*

29. Ubi non est ut quis existimet, Aristotelem contra experientiam locutum cum artifices non tam medium quam sum̃um videantur quærere, in eo enim omnes laborant, ut opera faciant quam elegantissima. Nam & summum & medium artes inquirere posse non absonum est. *Summum* enim appetunt *qualitatis bonitatis & elegantiæ, quæ media est inter supervacaneum, & ἐλλειπτικὸν*, quemadmodum Plutarchus l. de virt. Morali exponit. Ita etiamsi virtuosus summum persequatur. *Natura enim est gloriosa*, ut habet Seneca lib. 3. de Benefic. c. 36. *& ad summa tendit, cum natura nihil tam altè constituerit, quo virtus non possit eniti*, ait Alexander apud Curtium lib. 6; attamen nunquam mediocritatem transilit. Hanc responsionem ipse Philosophus suppeditat, quando dicit διὸ

κτ̓ μὲν τὴν &c. & *Plutarchus* etiam non abludit *l. 9. Virtus*, inquit, *est quidem mediocritas ratione quantitatis, utpote inter nimium & parum; sed est excellentia, ratione qualitatis, si vim ejus & bonitatem spectes.* Videatur etiam *Theages Pythagoricus, apud Stobæum* λόγῳ α. *Giphanius in Com. f. 17. Magirus in Comm. c. 2. Eth. c. 6. & Donaldsonus lib. 2. c. 3.*

30. Alterum desumit ab objecto, quod Thomas Argyropylus, Martyr, & Græcus Scholiastes omiserunt: Quod circa affectus regendos versatur, id mediocritatem observare oportet: In affectibus namq; & excessus & defectus medium est: & quod regit affectus, id ab excessu atq; defectu, eos abstrahere ;& ad mediocritatem reducere debet. Atqui virtus moralis versatur, circa regendos affectus. E. Addatur c. 33. l. 1. Magn. Moral.

31. Quando dicimus hoc argumentum desumi ab objecto, objectum directum intelligimus, *indirectum* enim *objectum* voluptatem & dolorem, posse dici non negamus; Affectus autem *objectum directum* asserimus: τῷ πάθει enim ἕπεται λύπη καὶ ἡδονὴ affectus dolor atq; voluptas sequitur *l. 2. Eth. c. 3. §. 2. l. 2. Reth. c. 1. prop. fin.*

32. Non quidem in genere affectus hoc loco definivit Philosophus: Nota tamen est explicatio, *Eustratii ad l. 2. Eth cap. 5.* quando ita describit ἔστι πάθος κίνησις τῆς ὀρεκτικῆς δυνάμεως αἰσθητὴ διὰ φαντασίαν ἀγαθοῦ ἢ κακοῦ. *Affectus est motus, sive commotio facultatis appetitivæ, quæ propter imaginationem boni vel mali percipitur sive sentitur.* Cum qua convenit illa quam habet *Damascenus*, l. 2. de *orthodoxa fide c. 22. est motus appetitivæ virtutis sensibilis, ab imaginatione boni vel mali*, & quam *Thomas addit l. 2. Eth. lect. 5. est motus appetitivæ virtutis in persecutione boni vel insuper mali.* Quæ expositio eadem est cum illa, quam habet Alcinous & Andronicus. Aliàs ipse Philosophus *l. 2. Rhet. cap. 1., dicit*: ex quo habet *Aspasius, esse mutationes animi cum voluptate & dolore conjunctas.* Brevissimè autem & argutissimè definiuntur *à Gabriele Byele l. 3. sent. dist. 23. q. 1.* actus potentiæ appetitivæ.

33. Dispescimus affectus in *irascibiles & concupiscibiles* Cum enim

enim appetitiva facultas in homine duplex sit, θυμικὴ & ἐπιθυμητικὴ consentiente *Platone l. 9 de Republ. f. 734. Arist. l. 2 de anim â, c. 3. f. 52.* sine dubio etiam affectus duplices ab eâ denominantur.

34. Non tamen Autorum, circa horum appetituum explicationem eadem mens est, *Thomas* enim *1.2. q 25. art. 3. ad 2.* & alii, ita concupiscibilem & irascibilem distinguunt, ut *concupiscibili tribuatur versari circa bonum absolutè; irascibili verò versari circa bonum arduum*: non quod difficultatem ipsam appetat, sic enim non habet rationem boni, sed mali potius, sed quia vim præbet ad vincendas difficultates, quæ in consequendo bono occurrunt.

35. Difficile tamen in hac expositione est, quidnam bonum arduum dicatur. Nam Thomas & qui eum sequuntur, intelligit nomine ardui, vel bonum excellens & supra cœtera diligendum, vel bonum absens, & hoc quod vel non sine labore comparari potest, aut cujus acquisitio, aliquam rationem mali habet. Plura enim genera vix excogitari possunt. Sed quicquid horum significetur, semper ibi concupiscibilis (amor enim & desiderium ad concupiscibilem appetitum spectare & per se notum est, & à Thomâ non facile negabitur) apparet, qui consequenter in bonis arduis versabitur, & sic oppositionis membra etiam formaliter coincident quod contra naturam & divisionis & oppositionis est. Sit itaq; hoc nostrũ argumentum: Omnis amor & desiderium ad concupiscibilem spectat. Quidam amor, & quoddam desiderium versantur circa ardua. E. Quoddam quod versatur circa ardua ad concupiscibilem spectat, quod expresse contra rationem formalem irascibilis appetitus à Thoma assignatam quæ concupiscibili competit.

36. Dubium etiam est an irascibile semper circa ardua occupatum sit. Sæpe enim homo irascitur, ut iram tamen facili negotio potuisset superare, cum ea sæpè ob rem nullius ferè momenti oriatur. Hoc ergo potest argumentum esse in formâ: Omnis ira refertur ad irascibilem appetitum, consentiente etiam ipso Thoma: Atqui quædam ira non versatur in arduis ut dictum. E. quoddam quod non versatur in arduis refertur ad irascibilem appetitum.

37. Melius meo judicio *Franc: Suarez* explicat, qui Albertum

eum, Scotum *l. 3. dist. 26. q. unica* & Byelem *l. 3. dist. 26. quæst. 9. art. 3. dub. 1.* videtur, sequi qui in objecto appetitus duo considerari posse judicat: Primum est ipsum bonum appetibile, & quæ ad illud consequendum per se conferunt. Alterum est id, quod impedit talis boni consecutionem, & bono nos privat amato. *Appetitus igitur quatenus bonum appetit, concupiscibilis dicitur; quatenus verò insurgit in eum, qui hujusmodi bonum impedit, ut suum bonum tueatur, irascibilis dicitur.*

38. Tertium argumentum sumitur ab adjunctâ difficultate. Virtus Moralis consistit in eo quod difficilius est. Atqui à medio aberrare facilimum, medium autem tenere difficilius. Nam τὸ μὲν ἁμαρτάνειν πολλαχῶς ἐστι, τὸ δὲ κατορθοῦν, μοναχῶς *d. c. 6. §. 4.* h. e. *Peccare licet multis modis, sed rectè agere non nisi modo uno.* Ergo virtus in medio consistit.

39. Hæc sunt argumenta Philosophi, quibus probat mediocritatem ad virtutem spectare, quia autem mediocre aliud vel est *ex parte rei,* vel *ex parte nostri. c. 6. §. 2.* ulterius videndum est quod mediocre hoc loco intelligendum veniat. Posse enim aliquid ablutè mediocre dici, quod respectu circumstantiarum, & consideratâ re non in se, sed ad aliud tale non est, rectè ostendit *Hornejus l. 3. c. 1. n. 16.* Nam cibus qui nimius est cæteris hominibus, vix modicus fuit Herculi, Miloni Crotoniatæ aut Therageni, quorum uterq;, die uno, taurum quadrimum integrum solus comedit, testib. *Athenæo l. 10. c. 2. & Solino, c. 4.* aut Phagoni illi, quem uno die ante mensam Aureliani Imperatoris, aprum integrum, centum panes, vervecem & porcellum comedisse, scribit *Flav. Vopiscus in Aureliano sub fin.*

40. Λέγω δὲ τὸ πράγματος μέσον, τὸ ἴσον ἀπέχον ἀφ' ἑκατέρου τῶν ἄκρων, ὅπερ ἐστὶν ἓν καὶ ταυτὸ πᾶσι. i. e. *Medium rei dico, quod ab utroq; extremo æquè late distat, estq; unum semper & idem §. 2. c. 6.* ut in numero si disponantur novem, quinq; sunt medium rei. Et hoc medium examinatur proportione Arithmetica, quando numeri æqualiter distant.

41. *Medium personæ* dicitur ὃ μήτε πλεονάζει, μήτε ἐλλείπει.

τοῦτο

τῦτο δ' οὐχ ἕν, οὐδὲ τ' αὐτὸ πᾶσι. ibid. hoc est, *quod neq; modum excedit, neq; à modo deficit, semper tamen unum & idem omnibus non est, sed variatu circumstantiis variatur & ipsum.* Examinatur proportione Geometrica, & servatur in hoc medio eadem ratio majoris termini, ad medium & medii ad extremum, quomodo 8 dicitur medium inter 4 & 16. Nam ut 8 est quadruplum, ita 16 & 8 duplum.

42. Jam si quæritur, utro in medio Virtus Moralis posita sit, rectè respondetur, eam in medio πρὸς ἡμᾶς consistere. Quia 1. interdum excessus, interdum defectus virtuti magis adversatur, uti Philosophus habet *l. 2. Eth. c. 8. §. 3.* Quia 2. medium quod in Virtute Morali conspicitur. πρὸς τ̀ καιρὸν σκοπεῖ *l. 2. Eth. c. 2. §* 1. hoc est tempus aliasq; tùm loci, tum personæ circumstantias respicit. Sic dives liberalis plus, quam pauper erogabit & princeps plus quam aliàs. Ad hunc enim modum erogare in rem familiarem quotidie sex aureos, prodigum est, si quis tenuis fortunæ id faciat, sordidum si princeps Fortis majora pericula aggredietur pro civibus suis, quam pro peregrinis, &c. Videtur *Thomas 1. 2. q. 64. a. 1.*

43. Mediocritatem igitur sectatur *quoad nos* virtus, sed non ex cujuscunq; præscripto definito, sed uti recta ratio & vir prudens eam definit. Quia enim tanta in singulis actionibus est circumstantiarum varietas, secum subinferens varietatem medii, non erit cujusvis sed solius prudentis, medium constituere, & ex multiplici rerum usu, quid singulis personis, locis & temporibus, congruat vel non congruat discernere.

44. Ex quibus elicitur virtutem esse definiendam cum Stagirita *l. 2. Eth c. 6. §. 5.* quod sit ἕξις προαιρετικὴ ἐν μεσότητι οὖσα, τῇ πρὸς ἡμᾶς ὡρισμένῃ λόγῳ, καὶ ὡς ἂν ὁ φρόνιμος ὁρίσειε. i. e. Est habitus præelectivus in mediocritate consistens ad nos relata, ratione definita & ut vir prudens eam definiret.

45. Genus est Habitus. Probatur autem à Philosopho hoc modo: Si virtus est in anima, erit vel potentia vel affectus vel habitus, Atqui prius est. E. jam autem neq; affectus, neq; potentia

quod

quod latè Philosophus confirmat, & nemo non ex eo dicit & novit, E. habitus.

46. Cui argumento videtur hoc obstare quod Philosophus argumentatus fuerit, ex insufficienti enumeratione partium. Sunt enim in anima etiam conceptus, species item rerum intelligibilium, & ipsa cognitio, quæ tamen neq; potentiâ, neq; affectus, neq; habitus.

47. Satis facit huic dubio *Gabriel. l. 3. dist. 23. q. 1.* dicitq; *Aristotelem solum loqui de anima ut appetitu, in quo tantum est Virtus Moralis.* Vult igitur animam ut potentiam nihil esse nisi passionem, potentiam vel habitum, & hoc sufficere ad probandam virtutem esse habitum. Ad ea quæ in § 46. sunt enumerata respondet, cognitionem non esse passionem, sed esse præviam passioni & caussam ejus partialem, quæ cum potentia caussat passionem. *Hinc requiritur objectum*, inquit, *ad productionem actus appetitus, quia sine objecto per solam notitiam abstractivam, quæ potest haberi in absentiâ objecti, elicitur à potentiâ, primus actus appetitus. Objectum autem sine cognitione, intuitiva vel abstractiva, non movet appetivum, ad actum prosecutionis & fugæ.*

48. Ita etiam ferè solvitur ab *Acciajolo*, qui hic tantum principia operationis humanæ, vel à quibus profluunt operationes nostræ practicæ recenseri autumat. vid. *Giphanius in Comm. cap. 5. fol. 108.*

49. Controversum etiam est, quod Aristoteles dixit, Virtutem in mediocritate consistere. Non solummodò enim Tempellus, cui eruditè respondit Velstenius *Decad. 3. Nobil. quæst. Eth. q. 4.* hanc differentiæ particulam malè ab Aristotele positam autumat; sed etiam *Meisnerus, in Dissert. de Summo Bono in coronide quæst. ult. fol. 380.* qui *l. c.* & in *quæstione quartâ* ex professo contra Aristotelem, & Peripateticos disputat. Quamvis autem aliàs, hujus viri utpote doctissimi, & de Ecclesiâ nostrâ optimè meriti, manes nunquam non venerer, attamen si studio veritatis (veritas enim nihil magis erubescit quam abscondi, juxta Tertullianum adversus Valent. & labium veritatis firmum manet in perpetuum Prov. 12, 9)

quæ

quæ ipsum Meisnerum fol. 370. movit, ut à receptâ opinione recesserit, quid nam de Meisneri opinione sentiam, & quid in ejus discursu desiderem, modestè exponam, bonis ingratum fore, non spero.

50. Addit autem quatuor argumenta, quorum prius desumptum est, ab ipsa formæ & differentiæ quidditate; Alterum à natura & conditione mediocritatis. Tertium ab operibus Theologicis, & Quartum, à contrario virtutis. Ipse autem *fol. 375.* ὀρθότητα & εὐνομίαν *rectitudinem legi naturæ consentaneam, virtutu formam* asserit, quod ipsa virtutis quidditas exprimatur. 2. Intellectus statim tranquilletur. 3. A Theologicis definitionibus non discedatur. & 4. Contrario contraria forma rectè tribuatur.

51. Multa tamen sunt quæ desideramus. Nam 1. non memini ubi Philosophus mediocritatem formam virtutis dixit, nec existimo, quempiam veterum Peripateticorum posse nominari, qui hoc ex Aristotele demonstraverit. Certè si Meisnerus propriè dictam formam intelligat, (quam videtur innuere, *fol. 370.* cum accuratam & genuinam formam vocet, quæ dat esse & est principium constitutivum quod ad actum refertur *f. 377*) sibi ipsi contradicit. In *quæst. 3* enim negat virtutum dari propriè dictam materiam, sed tantum quod ἀναλόγως est materia, quod Philosophus, *lib. 6. Met. c. 10. & l. 8. Met. 6.* ὕλην νοητὴν Scal. Ex 32. materiam intelligibilem appellat, cum virtutes sint accidentia, quæ materiam propriè dictam, non agnoscunt. Si hoc verum est, E. etiam non datur propriè dicta forma, ex mente Meisneri. Quicquid enim habet formam propriè dictam, habet etiam materiam propriè dictam. Formam enim & materiam unum numero habere modum, qui utriusq; est caussalitas, omnes Metaphysici ponunt, neq; quisquam, qui doctrinam caussarum callet, id negare potest.

52. Dixi ex *mente Meisneri.* Aliàs enim nostra cum *Gregor. de Valenz. super 1. 2. q. 2. a. 1.* sententia est, virtutum etiam dari, propriè dictam materiam ex qua, ut etiam in hoc à docto Meisnero abeamus, ut & in eo quod materiam propriè dictam concedere nolit, sed tantum intelligibilem, quasi scilicet νοητὴ ὕλη propriè dictam

materiam non exposceret, ac præsupponeret, quod contra Sagittarium & Alstedium alibi ex Aristot: *l. 7. Met. c. 10 & Thoma p. 1. q. 85. art. 1. ad 2. Soncinat. l. 6. Met. q. 11. & Toleto l. 2. Phys. 6. q. 4.* ostendemus, quicquid enim non habet materiam sensibilem ex mente Philosophi, materiam intelligibilem non habet. Aliàs etiam accidentibus, materiam propriè dictam esse assignandam, *Suarez Disp. 14. sect. 1. n. 8.* eruditè evincit, neq; ipsi satisfacere potuit *Scheiblerus l. 2. Metaph. c. 6. n. 44.* qui, ut mitissimè loquar, mentem Suarezii non attigit.

53. Neq; id *secundo* simpliciter laudare possumus, quod formam & differentiæ quidditatem, pro uno & eodem habeat. Certè quantum mihi constat, vix autumo quempiam hactenus statuisse, differentiam in accidentium definitionibus, esse formam propriè dictam. Memini quidem nonnullos statuere, sicuti in substantiarum definitionibus, differentia petenda sit à formâ; ita in accedentibus, differentiam esse à materiâ sumendam. Verùm licet his meum calculum nunquam adjeci..im, tamen adhuc hoc loco, quod ex propria mente urgeam, habeo, nempe differentiam esse conceptum Logicum, qui non magis formam quam genus ipsum respicit, quod etiam hac in nostram definitione, contingit. Genus enim v. g. *habitus* minimè à formâ excludi debet.

54. Quod enim Meisnerus *fol. 377.* dicat: *ad οὐσίαν Entis duo concurrere δύναμιν vel materiam καὶ ἐντελέχειαν formam, ut genus δυνάμεως, forma ἐντελεχείας vicem expleat*, id concedi minimè debet. Aliud enim 1. δύναμις contradistincta actui, aliud materia, quemadmodum Angeli materiam minimè habent, δύναμιν tamen habere notum est. 2. Falsum est οὐσίαν Entis duo hæc exquirere. Certè Deus & Angeli, imo accidentia ex mente Meisneri Entia sunt, quibus tamen materiam & formam tribuere velle, vel nobis vel Meisnero est absurdum. 3. Deniq; falsum est, in definitionibus genus vicem materiæ, & differentiam formæ explere. Certè ut nihil dicam quod Angelis (imo Deo si Aristotelem sequi volumus) bene possit genus tribui (v. g. spiritus) quod tamen vicem materiæ in Angelis non habet. Et ne longe abeamus, ponit certè

Meis-

Meisnerus habitum genus virtutis, qui an materiam, vel propriè vel impropriè dictam virtutum redoleat, ipse videat.

55. Imo si Meisneri argumenta aliquid roboris haberent, non tam Meisnerus congruentiam ad legem naturæ, formam possit propugnare, quam ipsum habitum cum rectâ ratione mediocrem, utpote qui ultimo constituit virtutem, & dat ipsi esse. Non enim ideo actio justa virtus est, quia legi naturæ conformis est; (Aliud enim esse justa agere, aliud justè agere, inculcat Arist. passim in Ethicis) sed quia habitus mediocritatem cum rectâ ratione servans est, ideo etiam virtutis nomine insignitur.

56. Inde s. miramur, quod Meisnerus & Aristotelis & Interpretum mentem ita pervertere voluerit. Certè differentiæ ratio non absolvitur *mediocritate*, sed tali mediocritate, *quæ à recta ratione definitur, & ut vir prudens eam definit.* Hic est conceptus proprius, & differentia specifica virtutis, (quam si quis nomine formæ latissimè sumtæ sc: exprimere voluerit ipsi litem de voce non facile movebimus) minimè vero à Meisneri formâ & differentiæ quidditate ex parte rei differens. Certè ista interna ὀρθότης & rectitudo quam declarat &indicat congruentia, cum lege naturæ, est ipsa mediocritas recta ratione definita. Lex n. naturæ &recta ratio in præsentiarum non differunt. Vidit hoc jamdudum *Phil. Melancht. qui postquam in Epit. Eth. f. 77.* dixerat, rectitudinem in actionib. humanis cōgruentiam voluntatis esse cū lege naturæ, subjungit: *Eadē prorsus est sentētia verborū Aristotelis, sed modū obedientiæ illius exprimit Arist. mediocritate.* Nō exigua igitur hactenus me admiratio tenuit, cur Meisnerus hanc sententiam tanquam novam proponere & vestigiis Abrah. Schulr. *l. 1. Eth. c. 3.* insistere voluerit, cum tamen hæc ipsa expositio sit Arist: & omniū Interp., quos ego quidē legi. Neminem n. novi, qui ultima verba definitionis, tanquam supervacanea omiserit, neq; quisquam omittere potest, qui cum *§. 5. c. 6. l. 3. Eth confert. c. 1. §. 2. & c. 4. l. 6. Eth.* ut mirer cur optimus Meisnerus *fol. 369.* in definitione Aristotelis, vocem RATIONE definita neglexerit. Quod autem CONGRUENTIAM ad legem naturæ non posuerunt, *neq; debuerunt neq; voluerunt* ponere. *Non voluerunt*, quia eo ipso quo actiones sunt mediocres, secundum rectam rationem defini-

finitæ, etiam sunt conformes legi naturæ. *Non debuerunt*, quia non-dum constabat, quidnam per legem naturæ intelligendum esset. Id enim demum *lib. 5. Eth.* exponitur.

57. Posito etiam congruentiam cum lege naturæ, esse superiorem ipsa mediocritate, de qua Philosophus l. c. ut hæc ex illa tanquam principiatum ex principio flueret, tamen 6. adhuc haberent interpretes, quo Aristotelem excusarent. Neq; enim Philosopho semper propositum est, ultimum conceptum in definitionibus ponere, cum sæpe habeat propria attributa, quæ fluunt ab alio, remq; satis clarè explicant, ut in iis quilibet acquiescere possit, nec non rem ab aliis secernunt, ideo etiam non rejiciuntur. Ita lib. de Interp, c. 1. Enunciationem per verum & falsum, l. 1. prior c. 1. Propositionem per affirmare & negare l 5 Met. Quantum per divisibile explicat, quæ omnia tamen non sunt ultima attributa, sed quæ supra se habent priora, Non aliter respondet ipse Meisnerus, & bene differit c. 1. q. 1. fol. 73. in Ethicis ubi non summa semper ἀκρίβεια sed captus juniorum attenditur, descriptio illa BONI (quod sit id quod omnia appetunt l. 1. Eth. c. 1.) tolerari potest, modo hoc notetur, quod à posteriori & proprio, non à priori vel ipsa bonitatis forma, sit desumpta.

59. Atq; hoc modo in definitione boni excusabat Thomas p. 1. q. 5. a. 1. Aristotelem, ut pote Præceptorem quem & nos non male forsan hoc loco eadem ratione defendere possemus, si modo aliquid Meisnerus effecisset suis argumentis. Posito enim (non tamen concesso uti probavimus) rem plane ita sese habere, quod Meisnerus intendit, ad huc tamen ignorationis elenchi fallaciam committeret. Si n. Aristoteli contradiceret, mediocritatem rectâ ratione definitâ virtutem asserenti, esset quod assereret virtutem in mediocritate non consistere. Atqui hoc non negat neq; negare potest vir, contra quem jam disputamus, doctissimus & nostra laude major.

60. Aliud est 7. mediocritatem, negare extrema, aliud formaliter negationem esse & non Ens. Multa enim negant aliquid, & important negationem hujus vel illius, quæ tamen non sunt negationes, & non entia. Sic infinitum dicit negationem finitatis

in Deo, quod si tamen non ens quis facere vellet, oppido erraret. Idem in doctrina de uno, latius Autores ostendunt, quod Philosophus l. 5. Met. c. 6. t. 11. & l. 10. Met. c. 1 t. 2. & c. 5. t. 9. indivisionem & indivisibilitatem formaliter vocat. Atqui indivisio illa, non est non Ens & negatio. vid. Mendoza Disp. 4. Met. Suarez. Disp. 4. & Scalig. Ex. 65. sect. 5.

61. Responsum ergo est ad argumentum *pag. 372. Quare & ipsa μεσότης in qua virtus dicitur consistere, formaliter erit extremorum negatio: unde deduco formam virtutis incommode dici. Nulla enim negatio est forma Entis positivi, uti paulò antedictum; quia forma & formatum debent esse homogenea. Virtus autem positivum: μεσότης Entis negatio est. Qui igitur forma esset virtutis?*

62. Neq; difficile est additamentum istius pag solvere: *Si maximè ἡ μεσότης non sit mera negatio: attamen non Ens quoddam absolutum uti virtus, sed potius relatum. Tantum enim consistit, in σχέσει & respectu ad extrema. Sicut enim extrema medii sunt extrema: ita medium extremorum est medium. Nuda autem relatio Entis absoluti vera & genuina forma non est: alias forma & formatum pars & totum prædicamento vel genere differrent quod absurdum.* Nam quęro ego an congruentia dicat respectum, & σχέσιν ad id cum quo dicitur congruere. Certe qui terminos intelligit negare nequit, cum congruentia dicatur illius congruentia, cum quo congruit. Quid ergo movit virum hunc, ab ingenio paratissimum, ut in Aristotele vitium crederet, quod ipse vitare non potuit? Certè respectum secundum dici transcendentalem etiam absoluta non excludunt, sed tantum prædicamentalem. Atqui quemadmodum habitus, secundũ congruentiam legis naturæ efformatus, nõ est respectus prædicamentalis, licet σχέσιν Inferat; ita licet mediocritas respectum quendam inferat, nec tamen ideo cum absoluta natura minimè pugnabit.

63. Tertium argumentum *fol. 373.* subjungit, in quo possemus negare, 1. Quod hæc duo non sint unum & idem, rectitudinem in se habere, & cum lege divina convenire. Certè si ex rectitudine intrinseca possemus argumentari, sententia Meisneri adhuc

 esset

esset falsa. Quod facile intelligit qui legit quod habet Gabr. Vatzquetz. 1.2. Disp.92. c.1. qui disputat contra communem opinionem quæ statuit bonitatē & malitiam præcedere actum judicii divini i.e. esse mala & bona in se, etiamsi Deus vel non approbaverit, vel concesserit. Quamvis autem hanc litem nostram facile non faciamus, illud tamen hoc loco urgemus, quod Meisnerus videatur prioribus verbis, Vatzquetzii sententiam innuere, quæ certè è diametro pugnat cum subsequentibus ipsius verbis.

64. Hoc tantum. 2. observo, quod minor non satis probata sit, quod nullus Theologorum opus bonum definiat per mediocritatem. *Rungium* certè, ex Theologorum nostrorum numero nemo facile excludet, qui ita tamen bona explicat, ut mediocritatem ipsum innuere unusquisq; animadvertere possit. *Vid. Disp.2. Catech. th. 13. & Comm. super Exodum.*

65. Ut & 3 quod præcipuum est, nos non simpliciter mediocritatem quamcunq; sed recta ratione definitam propugnare. Atqui quæ talis est, legem naturæ (an enim ἔμφυτος & ingenerata sit alterius loci erit) non excludit. Quo ipso etiam patet quo sensu *Scalig. Excert. 307 sect. 3.* rectam rationem virtutis formalitatem dixit, & *Johannes Versor. l. 2. Eth. q. 7. art: 3.* ex Thomâ attulit, qui bonitatem virtutis moralis, ex rectitudine rationis dixit dependere. Nihil enim aliud voluerunt, quam quod hoc loco Aristoteles posuit, mediocritatem debere esse ὁρισμένῳ λόγῳ. Hinc modiocri diligentiâ etiam ad ultimum *fol. 374*, respondetur. Negamus enim nos non definire vitium per ἀνομίαν. Eo ipso enim quo habitus quidam medium à rectâ ratione præscriptum transilit, ad vitium transit. Transilite autem medium rectæ rationis, est legem naturæ transgredi.

66. Ubi tamen unicum *cum nunquam satis laudato Horneio* notandum est, magnum intercedere discrimen vitiorum, quæ in Theologia & Ethica Aristotelis vitia dicuntur: *Quemadmodum e-jus,* inquit fol 307. *virtus non est si vel semel, vel casu rectè quis quid faciat, sed electionem in animo bonam esse oportet, ita nec vitium propriè est, ubi vel semel vel ex affectu, vel imbecillitate aliqua quispiam impingit,*

pingit, sed cum ita comparatus animus jam est, ut quod faciat, & actionibus ejusmodi assueverit. Nam quod de Injustitiâ Marcus Tul. dicit in offic. *permultũ interesse utrum perturbatione aliqua animi quæ plerumq; brevis est, & ad tempus, an consulto & cogitato fiat injuria: leniora enim esse ea, quæ repentino aliquo motu accidunt quam ea quæ meditata & præparata inferuntur;* Idem de omni actione mala valet. Tunc demum enim vitium ad est, ubi consultò & plene deliberato animo mala perpetramus, & quidem ex habitu.

66. Hæc circa sententiam magni Theologi Meisneri dicta sunto. Non quidem ut laudi ipsius aliquid detrahamus. Longè enim à nobis abest hoc vitium, cum ab eo tempore. quo judicare de quopiam cepimus, longè aliter senserimus. Ex animo n. nunquam non heroem hunc venerati fuimus, neq; operam & studia in gratiam Ecclesiæ ac Reipubl. præstita prædicare quamdiu ἐπιχθόνιοι erimus, desinemus, neq; autumamus quemquam bonum, & August. Confess. sincerè addictum inveniri, qui hunc virum tanquam singulare ὄργανον & donum divinum à Deo clementer nobis concessum, grato animo non agnoscat, Deoq; ideo gratias agat devotas. Opinionem saltem ejus de re Philosophica an Aristoteli repugnet veritatis gratia examinavimus. Qua itaq; modestiâ optimus Meisnerus *fol. 370.* in aliorum Doctorum Theologiæ ac Philosophiæ, ipsius etiam Præceptorum mentem inquisivit, ea etiam libertate, & nos usi fuimus. Neq; existimamus bonos id vitiò nobis vertere posse. Quicquid enim diximus veritatis ergò asseruimus, *quæ ex se loquitur, conculcata resurgit, diu recta resulget, & multos etiam ad assentiendum sibi compellit, teste Piccolom. grad. 5. c. 46.* Hinc etiam *Plato* docuit, *veritati virum non præferendum.* quod Aristoteles exponens dixit: *Amicus Plato, amicus Socrates, sed magis amica veritas. Nam hujus splendor,* uti habet Scalig. l 2. de re Poet. circa finem, *quovis nomine charior habendus est.*

Ad Præstant: & Literat: Dn. Respondentem.

DUm varios Sophiæ campos MÖLMANNE pererras
pulcrosq; flores hinc & inde colligis,
Exponis doctè, VIRTUTUM quæ genuina
Sit indoles. Perge, & sequetur gloria.

affectu amico scripsit

M. Johann. Reinboth.

ASsiduè tempus Musis vitæ omne vacando
Conterere, esse nimis mortalis semine cretis
Durum persuadent sibi gens, queis otia curæ:
Ast contrà ingenuè hoc, constans Möllmanne, *Minervæ*
Cultor, tu dulcem vitam juvenumq́; suavem
Nutricem ducis, sudans noctesq́; diesq́;,
Ut modò testatur scitè laudabile captum,
Quod tibi sit faustum faxit venerandus Jova.

amico suo à teneris certo gratulabundus f.

Paulus Moth.

THEODORUS MOLMAN.

per Anagr:

DUM SOL MEAT, HONOR.

HOc ad Virtutes iter est, hac itur ad astra,
Ad disciplinas hanc datur ire viam,
Quam dum, ceu cœpsti pressas *Theodore*, perennè
DUMq́, MEAT SOL, te nomen HONORq́; manet.

Ita ex nomine præstantissimi Dn. Respondentis,
amici ac popularis sui desideratissimi
ominari voluit

Nicolaus Moth.

VIrtutes meritò tractas generaliter omnes
In specie cùm sit cognita quæq; tibi.
Gratulor ex animo! precor, ut virtutibus omnem
Invidiam possis conciliare tuis!

Fautori, Amico, & Contubern. pl. hon. L.M.Q. f.

Joannes Mautnerus, Pannonius.

129.